PETRUS PICTAVIENSIS. PETRUS COMESTOR

Frankreich, 13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=901
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

suis. Et iratus sanson uxori: rediit in domum patris sui. Uxor autem eius nupsit uni de pronubis suis. Cumque dies tritice messis instarent: uenit sanson uisere uxorem suam. ferens hedum. Cumque cubiculum eius uellet intrare: prohibuit pater dicens. Putaui quod odisses eam: et tradidi illam amico tuo. Sororem habet que pulcrior est illa. sit tibi pro ea uxor. Cui sanson. Ab hac die non erit culpa in me: contra philisteos. Faciam uobis mala. Et cepit .ccc. uulpes. et iunxit caudas caudis. et faces ligauit in medio. quas igne succendens: dimisit eas discurrere. et incenderunt segetes philistinorum. in tantum ut uineas quoque et oliueta ignis consumeret. Palestini scientes opus esse sansonis: uxorem eius et parentes combusserunt. tanquam mali huius auctores. Et ait sanson. Adhuc expectabo ultionem: ut quiescam. Et percussit eos plaga grandi. ita ut stupentes: suram femori inponerent. Lxx. dicit ita. percussit alienigenas sanson: tybiam super femur. quod ad priorem sensum reducitur. i. tam mirabiliter: ut stupentes tybiam unius pedis super femur alterius ponerent. Tamen: quia tybiis incedimus: et super femur sedemus: quidam exponunt sic. percussit tybiam super femur. i. pedites: preter sedentes in equo. Et habitabat sanson in spelunca petre ethan. que est in loco munito. Tunc ascendentes philistei in terram iuda: et castra metati sunt in loco qui postea dictus est lechi. i. maxilla. et dixerunt ad eos uiri iuda. Serui uestri sumus. Cur ascendistis aduersum nos? Qui dixerunt. ut ligemus sansonem. et ascenderunt .iii. de iuda ad sanson. et culpantes eum dixerunt. Nescis quod philistei imperent nobis? Venimus ut ligemus te: et tradamus philisteis. Et ait. Iurate: ne me occidatis. et iurauerunt. et permisit se ligari duobus nouis funibus. Et cum traherent eum: et uociferarentur philistei pre gaudio: irruit spiritus domini in eum et dissoluta sunt uincula eius: ut ligna. i. stipule linee ad odorem ignis. Tollensque mandibulam asini iacentem in terra. et interfecit in ea: mille uiros. Aliis in fugam uersis. Et exultans sanson: cecinit metrice. In maxilla asini in mandibula pulli asinarum: deleui eos. et percussi mille uiros. Et proiecit mandibulam. et uocauit nomen

a. l. ut filum stupe tortum sputamine.

loci ramathlechi uel ramatlechi. quod est eleuatio maxille. Rama enim excelsum sonat. Et sitiuit ad mortem. Quod factum esse tradunt hebrei: quia sibi dedit gloriam et non deo. Et clamauit ad dominum. obsecro domine ecce morior: et incidam in manus incircumcisorum. Et aperuit dominus molarem dentem in maxilla asini. et egresse sunt aque. Quibus haustis: uires recepit. Et mutato nomine postea: dictum est nomen loci: fons inuocantis de maxilla.

Hebreus habet in maxilla asini: hemor hemorim. Quod sonat: cumulum de cumulis. quod est in maxilla asini feci aceruum de cadaueribus mortuorum.

Cumque non timeret philisteos: abiit in gazam et uidit ibi mulierem meretricem et ingressus est ad eam. Quo cognito palestini posuerunt custodes in porta ciuitatis. ut exeuntem mane occiderent. Sanson uero medio noctis surgens: ambas fores apprehendit cum postibus suis. et sera et in humeris portauit ad uerticem montis. Post hec amauit dalidam. que erat in monte sorech. Et est sorech genus uitis. Et uenerunt ad eam v. satrape philistinorum. dicentes. Disce ab eo in quo habeat uires. Et quomodo ualeamus eum uinctum affligere. et dabimus tibi singuli: mille .c. argenteos. quod est .v.d. Quidam tamen distinguunt ita. dabimus tibi singuli mille .c. argenteos. Et blandita est dalida sansoni. Qui respondit in dolo. Si .vii. neruiceis funibus et adhuc humentibus: ligatus fuero: ero sicut ceteri homines. Quos iosephus palmites uinearum recentes dicit. Et attulerunt ad eam .vii. funes. Quibus dormientem quasi ebrium colligauit: latentibus apud se philisteis. et clamauit mulier: philistiim super te. sanson. Qui rupit uincula quasi stupea. Idipsum factum est secundo. de .vii. nouis funibus. Cum autem tertio .vii. crines capitis eius cum ligatos licio et clauo terre infixisset: excitatus ab ea sanson: extraxit clauum cum crinibus et licio. Cumque molesta esset ei dalida: et deficeret anima eius ad mortem: aperuit ei ueritatem. dicens. Nazareus sum ab utero matris mee. Si rasum fuerit caput meum: recedet a me fortitudo. Tunc dalida reuocauit satrapas ut uenirent cum pecunia quam promiserant. At illa dormire fecit eum super ge-